



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE SANCTUS ANTONIUS FIT FACULTAS SACRAS EXUVIAS S. ANTONII PATAVINI

INSPICIENDI ATQUE RECOGNOSCENDI Ad perpetuam rei memoriam. – Sanctus Antonius, quem Lusitania nobilis terris edidisse gloriatur, non solum vitae sanctimonia excelsisque virtutibus, sed et evangelicae doctrinae splendore atque miraculorum inclita fama, velut splendidissimum sidus «orbem universum illuminavit et adhuc fulgentissima luce collustrat»; eiusque sepulcrum, quo ceu thesauro felix gaudet Patavina civitas, numquam intermissa Christifidelium veneratione ad nostra usque tempora inclaruit. Libet autem, septies iam centesimo ac quinquagesimo instante anno a beati huius Thaumaturgi obitu, factor praecipua memoratu digna, quae circa gloriosum sepulcrum atque continens templum saeculorum decursu gesta sunt, breviter evocare. Constat in primis sacrum Antonii corpus ex Arcellae suburbio, in quo sub vespere dici XIII Lunii, feria VI anno MCCXXXI, ad superos excesserat, in urbem Patavium gestiente populi multitudine delatum, in templo Sanctae Mariae Dei Genetricis primum fuisse depositum; deinde post annos triginta duos venerandas exuvias rite recognitas in nonam aedem ad eiusdem Sancti honorem magnificentissime exstructam, magna cum sollemnitate fuisse translatas. Haec omnia die VIII Aprilis, anno MCCLXIII, in octava Dominicae Resurrectionis peracta sunt, praesente S. Bonaventura, tunc Franciscalis Ordinis Generali Ministro. Qua occasione, prout historica tradiderunt monumenta, carne iam in pulverem redacta, lingua, quae Christi tuba exstiterat, sic integra rubensque reperta fuit, ut viventis hominis esse videretur. Quam seraphicus Doctor in manibus reverenter accepit, atque in divinas laudes prorumpens adstantibus ostendit; quam et iussit seorsum honorifice collocare. Postea vero urna, sacras complectens reliquias, die XIII Lunii, anno MCCCX, ad eum templi situm, in quo hucusque asservatur ut fertur, posita fuit. Nova dein exuviarum recognitio acta est die XV Februarii, anno MCCCL, adstante Vidone S. R. E. Cardinali de Francia, Clementis Papae VI Legato, qui, pietatis causa, ob insigne a S. Antonio receptum in vitae discrimine beneficium, Patavium adveniens, novam fieri curavit sacrorum ossium repositionem in arca, conspicuam vero capitis partem in pretiosissima theca, suis sumptibus affabre elaborata, reposuit. Ex quo tempore venerabilem urnam ad nostros usque dies clausam undequaque mansisse satis constat. Ipsum vero Patavinum S. Antonii templum, artis magnificentia ac iugi populorum veneratione clarum, ad Basilicae gradum ac dignitatem iamdiu evectum, Pius Papa XI, die XXV Maii, anno MDCCCXXXII, Basilicae Pontificiae titulo decoravit. Nuper vero, cum septingentesimus et quinquagesimus annus a beati Antonii Patavini morte iam inmineret, dilectus Filius Vitalis Bommarco, Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium – quorum curae Antoniana Basilica inde ab initus concredita est – in eum potissimum finem ut gloriosi sepulcri conservationi aptius consuleretur simulque ea omnia removerentur, quae eius decorem, temporis usura aliisque de causis, imminuissent, enixas Nobis admovit preces, Venerabilis Fratris Antonii Mauro, Archiepiscopi titulo Thagastensis, ad Antonianam Basilicam hanc Pontificii Delegati, commendatione suffultas, ut necessaria et opportuna tribueretur facultas arcam aperiendi, et S. Antonii, sacerdotis Ordinis Minorum et Ecclesiae Doctoris, reliquias recognoscendi ac denim religiose componendi. His profecto expostulationibus benevole concedere cupientes, totem

negotium, ut in re tanti momenti, peculiari Commissioni ecclesiasticae moderatrici, cuius Praeses esset Venerabilis Frater Koster Petrus Palazzina, Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum Praefectus, demandare opportunum duximus, eidemque alterum coetum, technicum, ut aiunt, aducere. Itaque, harum Litterarum tenore, eidem Commissioni ecclesiasticae et coetui tecnico necessarias et oportunas concedimus facultates sepulcralem S. Antonii arcam, inspectionis et recognitionis gratia, aperiendi eaque omnia exsequendi, quae necessaria vel utilia visa fuerint, tum ad tutiorem conservationem, tum ad aptiorem venerandae arcae custodiam, attenta peculiari Promotoris Fidei instructione, ita quidem ut essentialis eiusdem arcae situs et conformatio intacta maneant, nec quidquam ex sacris ossibus distrahatur, exceptis mirioribus quibusdam particulis quae disiecta forte inveniuntur, de licentia dumtaxat Commissionis Praesidis. Sacris demum exuviis dignum in modum denuo compositis, obseretur urna, atque sigillis communiatur; arca vero secundum primigeniam formam, circumcludatur, nullo umquam tempore absque Romani Pontificis venia deinceps aperiendi. Omnium autem quae peracta fuerint accurata per Notarium scripto fiat relatio, authenticis provisis exemplaribus, quorum alterum Sacrae Congregationi pro Causis Sanctorum tradatur, alterum in tabulario Patavini Coenobii S. Antonii asservetur. Contrariis quibusvis minime obstantibus, servatisque legibus liturgicis aliisque normis in sacrarum reliquiarum recognitione servandis. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die I mensis Ianuarii, anno MDCCCCLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis ©

Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana